



Ralle



23

36

1731, 19

FACVLTATIS JVRIDICÆ  
DECANVS,  
**JO. PHILIPPVS**  
**S**treif, JCtvs,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

*quodam de mandat.*

---

ERFORDIAE,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.



Andatum definitur, quod sit contractus consensualis, quo negotium gratis gerendum committitur & suscipitur. Vel est contractus, quo quis officium honestum & lege permisum gratuito expressè vel tacite suscipit exequendum. Sunt autem mandata alia publica, alia privata. Illa vocantur propriè præcepta, sive edicta Magistratum. Privata dicuntur, quando negotia in judicio, vel extra judicium, nostro nomine confianda amicè ac bonâ fide alicui committimus, seu commendamus. Differunt verò contractus mandati, & mandata sive Præcepta superiorum, quæ ab initio statim sunt necessitatis, juxta regulas: magistratum parendum & obtemperandum, *L. non videtur 167. §. 1. ff. de R. I.* Contra præceptum superioris non est licitum aliquid attentare. *L. 1. ff. de nov. oper. nunciat. dolocarere non potest, qui imperio Magistratus non obtemperat. L. non potest. 199. ff. de R. I.* Porrò mandatum variè dividitur, & quidem à causa effidente in expressum & tacitum. Illud est, cum verbis formalibus, vel signis

signis æquivalentibus negotium alteri committimus.  
L. 1. §. 1. 2. Et 3. ff. mandat. vel contr. Tacitum, cum scien-  
tes patimur negotium nostrum à præsente altero ex-  
pediri. L. 18. ff. eod. Ab objecto dividitur in generale  
& speciale. Generale est, cum negotia omnia: specia-  
le, cum negotium unum vel plura separata & determi-  
nata, gerenda alteri committimus. Illud ulterius di-  
velliatur in generale simplex, & generale cum libera.  
Generale simplex est cum negotia omnia simpliciter  
alteri committimus. Generale cum libera est, cum li-  
beram alteri potestatem concedimus, ea omnia facien-  
di, quæ ipsi verosimiliter facturi fuissimus. Ratione  
formæ dividitur mandatum in purum & non purum;  
illud est, cui neque dies, neque conditio adjecta. Non  
purum, cui vel dies vel conditio adjecta. Ratio-  
ne finis dividitur mandatum, quod contrahatur vel  
mandantis tantum, vel mandatarii tantum, vel ter-  
tii tantum gratiâ: vel mandantis & mandatarii  
gratiâ: vel mandantis & tertii gratiâ: vel deni-  
que mandantis, mandatarii & tertii gratiâ. §. 1. Et  
seqq. inst. de mandat. L. 2. ff. eod. Quæ tamen divisio  
accurata non est, quia mandatum quod utilitatem re-  
spicit solius mandatarii, consilium magis est, quam man-  
datum, idèoque obligationem non inducit, nemo enim  
ex consilio suo tenetur, esto id alteri non conducat: in  
potestate siquidem alterius est, explorare sibine expe-  
diat. §. 6. inst. d. 5. Et L. 2. §. fin. eod. Attamen hoc de  
consiliis propriè dictis intelligendum est, moribus au-  
tem dantur consilia, quæ necessitatem in se continent  
duplicem à parte ejus, qui consulitur, tum ut consilium  
ab aliis capiat, tum ut illud sequatur, hinc in ordinatio-

ne Catolinā jubentur judices in causis gravioribus J Cto.  
rum consilia requirere. Sic etiam in causis peritorum  
informationem requirentibus, judex ab artis peritis  
consilium petere debet, sicuti ubi de lethalitate vulne-  
ris dubitatur, medici consulendi sunt juxta artic. 134.  
*conf. crim. L. 6. cod. de re milit.* Sed hujusmodi consilia  
magis vim definitionis judicialis, quām sententiæ obti-  
nent, & inde à natura consilio propriè dictorum  
recedunt. Quæ cum ita sint, durum est à consulente  
exigere, ut eventum consilii præstet, id quod tamen  
moribus non raro à ministris publicis, qui consilium  
principi suggere solent, & vi officii debent, exigi solet,  
si forsan consilium ab iis datum sinistrum sortitum fue-  
rit effectum. *Stryck. in usū modern. Pandeſſ. Mand. vel con-  
tra §. 8. §. 9.* Causa efficiens mandati remota est jus  
gentium, proxima sunt contrahentes, puta mandans &  
mandatarius. Possunt autem mandare & mandatum  
suscipere omnes, qui contrahere, & contrahendo obli-  
gari, ac speciali jure non prohibentur. Materia seu  
objectum mandati sunt negotia gerenda, certa & ho-  
nesta, plura itaque ex parte objecti concurrente necesse  
est, ut teneat mandatum; debet enim esse negotium  
gerendum, seu futurum: præteritum seu gestum. Obje-  
ctum contractus hujus non constituit, nec fundat actionem  
mandati, esto ratiabitio accesserit. *L. 9. ff. de negot.  
gest. L. 9. cod. eod.* Insuper debet esse certum, mandatum  
enim negotii planè incerti, quod neque naturā suā,  
neque aliunde determinationem habet, obligationem  
non inducit *arg. L. 69. §. 4. de jur. hot. §. L. 115. princ. ff.  
de V. O.* Porro debet esse honestum, rei enim turpis  
aut probrosæ nullum est mandatum, adeoque nec iste

ad

ad negotium gerendum, nec ille ad indemnitudinem gerenti praestandam tenetur. *L. 7. inst. d. t. L. 6. §. 3. ff. eod.*  
uterque tamen actu secuto obligatur tum Reipublicæ ad poenam, tum læso ad reparationem damni. *L. 11. §. 3. ff.*  
*de injur. L. 15. §. ad L. Cornel. de siccari. L. 5. cod. de accusat.*  
Mandati verò forma stat in consensu mutuo, quo negotium aliquod gratis gerendum committitur & suscipitur. Gratuitum igitur debet esse mandatum, quia ex officio & amicitia originem dicit, cui merces est contraria. *L. 1. §. fin. mand. vel contr.* Honorarium tamen non respuit hic contractus, quia non datur tanquam pretium exhibitæ operæ, sed velut tessera grati animi. *L. 6. pr. ff. eod.* Quod si pacto determinatum est, sive ex intervallo, sive in continenti, exinde hodie validè agi potest. Si incertum promissum sit, actio deficit, cum nihil certi peti possit, & ex arbitrio mandantis hoc unicè dependeat. *L. 56. §. pen. L. 17. cod. de mand.* hoc tamen moribus limitant illis personis, quæ non solent sine honerario operas gratis praestare, uti sunt Procuratores judiciales & Advocati *Stryk. dict. tit. §. 18.* Rationem, quare contractus mandati sit introductus, *Ulpianus in L. 1. §. fin. ff. de procurat.* hanc assignat: ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, eas per alios possint exequi. Nam ut ait Imperator *Iustiniianus in pr. tit. de iis per quos ag. poss. & mōrbus & ætas,* & necessaria perigrinatio, itemque multæ aliæ causæ sc̄epe hominibus impedimento sunt, quo minus rem suam ipsi exequi possint: & multa sunt quæ per alios non solum commodius quivis facere potest, sed & utilius arg. *L. 6. §. 2. ff. de his qui not. infam.* Unde usus procuratorum per quam necessarius est. *L. 2. §. 2. de procur.*

Rationem non absimilem tradit Cicero in oratione pro Roscio his verbis: ut quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponatur, non enim possumus omnia per nos agere, alius in illa re est magis utilis, idcirco amicitiae comparentur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. *Wesen. in parait. n.7.* Unde apparet magna prudentia majorum nostrorum, qui in omnem partem nobis prospexerunt, ut quando aliquid omnino non possumus, vel non commodè possumus, alteri negotiū nostrū demandemus, si verò soli nihil valeamus, aliū nobis associemus. Effectus mandati variū sunt, inter quos refertur, quod etiam obligetur mandans ad damna culpā suā mandatario illata, resarcienda. Hinc Ictus Paulus ait: *Si mandassē tibi ut fundum emeres: postea scripsissē ne emeres, tu antequam scias me vetuisse, emissē, mandati tibi obligatus ero, ne damno officiari s, qui suscipit mandatum. L. 15. ff. mandat. vel contra.* Quam legem pro Lectione Cursoria elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS  
DOMINVS  
**CAROLVS FRIDERICVS**  
SENCK-EISEN,

*Advocatus Lipsiensis.*

Natales is debet celeberrimæ urbi Saxonie Lipsiæ, ubi primum lucem asperxit d. i. Febr. MDCCIX. Patrem habuit, Virum probum, civemque Lipsiensem, JOHANNEM CHRISTIANVM SENCK-EISEN, qui per triginta, & quod excurrit, annos cohortum Senatus Lipsiensis recen-

recensoris officio optimè functus est, & non ita pridem  
in vivis esse desit. Matrem verò MARIAM, ex gente  
KUTSCHERIANA ortam, adhuc omni pietate vene-  
ratur. Hi optimi Parentes curavere primis statim an-  
nis, quum studiis dicatus esset, ut fidelium Præcepto-  
rum domesticorum institutionibus uti posset, quorum  
primi fuere, Dn. KLINGSCHIVS, Adv. nunc apud  
Zschopavienses, M. LEVCHTERVS & Dn. PARPAR-  
DVS, quibus fundamenta linguae latinæ se debere factetur,  
ut & Dn. ZINCKIVS, cuius ductu Geometriam & Archite-  
cturam discere coepit. Adultioribus annis in Scholam  
Portensem missus philologica studia prosequutus est  
Rectore Dn. M. JOHANNE DAVIDE SCHREBERO,  
Con-Rectorre Dn. SCHRAMMIO, Collega Tertio Dn.  
FREYTAGIO, nec non Dn. M. WEIDNERO. Post hinc  
ad patrios lares reversus, in Academia Patria civis re-  
ceptus sub Rectoratu Dn. D. JOANNIS CHRISTIANI  
LEHMANNI, P.P. Anno M DCC XXVI. Studio Juri-  
dico nunc totum se addicavit, studiis elegantioribus  
non posthabitatis, & primū profecit sub Institutione  
Dn. FRIDERICI Lebrecht STOLTZII, Adv. apud Li-  
psienses. Mox deinde accessit Professores Universita-  
tis & Doctores celeberrimos: Inter quos imprimis  
magnis evehit laudibus Magn. Dn. D. GRIEBNERVM, Dn.  
D. RECHENBERGIVM, Dn. D. DÆGNERVVM, Dn. D. BAVE-  
RVM, Dn. D. REICHELIVM & Dn. D. SCHOENIVM. Con-  
tinuato felicissime studiorum ordine per triennium am-  
biuit officium Notarii, & ab Amplissimo Lipsiensi Sena-  
tu A. M DCC XXIX. Notarius creatus. Cumque cau-  
fas perorare in foro animus erat, Regiae constit. de A.  
M DCC XXIII. d. 12. April. satisfaciendum duxit, & il-  
lustrem

98

Iustrem Facultatem Juridicam Lipsiensem adiit, ut eundem ad Examen Candidatis Praxeos suetum admittarent, quo bene peracto, Dresdæ quoque alterum specimen exhibuit, inque numerum Practicorum receptus A. M DCC XXX. Deinde fortunæ suæ consultius esse duxit honores, quos Themis suis largire solet, ambire. Proinde nos accessit, & ad Doctorandorum examen admitti decenter petiit, cuius petitio Facultas deesse noluit, sed textus ex utroque jure eidem transmisit, quos solide & doctè declaravit, & in ipso examine sese verum Candidatum, suamque in jure acquisitam scientiam egregiè probavit, adeò ut gradu Doctorali dignus judicatus sit. Quare proximâ die Martis, horis consuetis, lectionem Cursoriam ad dict. L. 15. Mandari vel contra, eaque finitâ, Disputationem Inauguralem DE MANDATO, AN MORTE MANDANTIS CESSET? habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Dominus Rector, cæterique Domini Proceres & Cives Academicci perhumeriter invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Juridicæ d. I. Julii M DCC XXXI.




**ULB Halle**

3

005 367 751



VDN 8



B.I.G.

Black

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
1	Centimetres
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
20	

### Farbkarte #13

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

23

36

1731, 19

FACVLTATIS JVRIDICÆ  
DECANVS,

JO. PHILIPPVS  
*S*treit, JC<sub>T</sub>VS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

*quædam de mandatis.*

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

